

qui utinam perpenderent sequentes veritates pii cujusdam viri apud Corn. a Lap. in Zach. cap. IX. « Prima, infirmus, Domine, qui tecum non exhilaratur, valde prope est, ut cadat. Secunda, anima, quæ tecum non exultat, unde poterit exultare? Tertia, qui tecum Domine, non est contentus, quomodo non crepat? Quarta, qui dum te hospitem habet, properat ut domo exeat, facile ostendit se cor habere alibi obstrictum. Quinta, cæ tecum manere tædium est, nescit quod tu sis Deus et totum bonum ejus. Sexta, qui tecum non manet libenter ostendit se phrenesi laborare, cum hujus rei causa natus sit. » Quatuor hi defectus, totidem quasi cordis nostri foramina sunt, per quæ excidit nobis fructus sacre communionis, unde subdidit Aggæus: *Et qui mercedes congregavit misit eas in sacculum pertusum.* Non est expeditior ratio colligendi spirituales divitias, quam digna et frequens communio. Verum si cornostrum sacculus ejusmodi pertusus sit, frustra colligemus quidquid injecerimus: nimirum si absque recta intentione, absque debita præparatione, absque devotione, absque collectione Christum suscipiamus. Inspiciat ergo unusquisque sacculum cordis sui, et si aliquid ex his foramen deprehendit, resarciat: ne alioquin et sibi noceat et Christo gravem injuriam inferat, cujus utique præstantissima medicina spernitur et vituperatur a Judæis, ethnicis, hæreticis, si eam in nobis viderint tam esse inefficacem et inanem.

Quod si vero quis ab his se immunem vidit, bono animo sit, frustra non communicat, tametsi vel dulcedinem ac pinguedinem spiritualem vel etiam notabilem profectum in se non experiatur. Nam quod attinet ad gustum et dulcedinem devotionis, sciendum non esse necessariam, nec de ea valde laborandum, modo culpa nostra non præpediatur. Neque enim est hujus vitæ gustus et dulcedo illa, sed ad futuram reservatur. Sufficit hominem facere quod in se est, ad excitandam devotionem, licet eam non obtineat juxta placitum, sed aridus remaneat; id quod communicanti sæpe est utilius. Habet nihilominus communio suos alios fructus.

Quod vero ad profectum spectat, sciendum hujus sacramenti effectus non minus occultos quam mirabiles esse, ut homo vix eos advertat. Emulatur enim gratia naturam. Unde: « Quemadmodum cibus corporalis hominem conservat augetque cunctis inadvertentibus, ita hoc sacramento anima corroboratur augeturque imperceptibili incremento, » ait S. Laurent. Justin.

Deinde, non solum progredi, sed etiam non regredi et non labi profectus censendus est; si-

cut non minoris fit medicina morbum arcens, quam sanitatem promovens. Quare si vi communionis sentias te multo tempore sine lethali culpa vivere, jam non parum profecisti, qui vitam animæ tamdiu sustentasti. Quod si etiam sæpe communicans, subinde cespitas; cogita quod abstinens toties omnino caderes. Faciamus ergo quod in nobis est et vitemus defectus indicatos, de fructu porro reportando nihil simus solliciti. De S. Cassio ut diximus quotidianum sacrificium offerre solito scribit S. Greg. loco supra citato, quod quadam nocte ejus presbytero per visum Dominus astitit, dicens: *Vade et die episcopo: Age quod agis; operare quod operaris: non cesset pes tuus, non cesset manus tua: natali apostolorum venies ad me et retribuam tibi mercedem tuam.* Prædictioni respondit effectus, septimo post anno. In natali enim apostolorum postquam missarum solemniam peregrisset, suisque ultimum valedixisset, repente exclamans, dixit: *Hora est, et obiit.* Et quæ putatis, illa hora fuit nisi diei ultima, quæ vocabat operarium ad mercedem accipiendam.

## CONCIO III.

## UBI ET QUOMODO CHRISTUM DOMINUM VIDERE POSSIMUS.

I. In pauperibus. — II. In sacrificio missæ. — III. In oratione. — IV. In superioribus.

## THEMA.

*Aperti sunt oculi eorum et cognoverunt eum.*  
Luc. XXIV.

Exodi XXXIII. cap. desiderans Moyses videre Deum dixit: *Ostende mihi faciem tuam, sed responsum accepit: Est locus apud me et stabis supra petram et ponam te in foramine petreæ et videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.* Neminem esse nostrum puto, qui non vehementer, si fieri posset, Christum videre desideraret et plurimos etiam abituros reor usque in Emmaus et Jerusalem, si adhuc ibidem in terris degeret; sed fieri jam non potest ut Christum videamus: sed neque necessarium, quia scimus Dominum Thomæ dixisse: *Quia vidisti me, Thoma, credi disti: beati qui non viderunt et crediderunt.* Quo nomine gratulandum nobis votius, qui credimus in Christum, quem oculis non vidimus. Sed non caremus tamen omni Christi nostri aspectu; videmus enim eum oculis fidei majore nostro merito, quam si corporeis cerneremus. Videmus eum quasi a tergo, id est, obscure et in aliqua

jeus imagine nobis relicta per foramen petreæ, oculo scilicet fidei. Sed ubinam fides, inquires, ostendit mihi Christum? Audi patienter. Multis quidem in locis Dominus post resurrectionem suam videndum se præbuit discipulis et primis Christianis. Quatuor tamen loca nominatim exprimitur, in quibus se Dominus luculenter præbuit videndum: Emmaus, mare Tiberiadis, mons Galilææ, et Bethania. Unde non incongrue quatuor processiones tempore paschali instituit Ecclesia, unam in festo S. Marci, tres alias in feriis rogationum, quasi velit monere nos ut ad quatuor illa loca supplicando abeamus, ubi Christum videre possimus.

I. Eundum nobis est in Emmaus, si Christum videre volumus. Emmaus populus despectus vel abjectus exponitur et quid significat nobis nisi pauperes, Christi personam representantes, siquidem ipse dixit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis?* Unde bene in forma peregrini tunc apparuit Dominus: et cum discipuli putarent se ire et loqui cum peregrino, invitare ad hospitium et mensam peregrinum, Christo hæfecerunt. Neque hoc raro deinceps accidit. Inter alia enim exempla multa, S. Martyrius, ut refert S. Greg. hom. XXXIX. in ev. leprosum debilem in via repertum, dum super humeros gestat ad monasterium, in ejus foribus Christum se gestasse videt sibi apparentem et coram se in celos abeuntem ac dicentem: *Martyri, tu non me erubuisti super terram, ego te non erubescam super celos.* S. Catharina Sennensis peregrinum pauperem se induere vestibus sibi detractis existimans, Christum vestiit, qui mox ab ea evanuit et noctu ei apprensus vestem illam in manu ferens, aliam invisibilem promisit quæ omne frigus ab ea arceat, Antonin. III. p. hist. tit. XXIII. Alius item peregrinorum amator et hospes, « Cum quotidie ad mensam suam peregrinos susciperet, quodam die peregrinus quidam inter alios advenit, et ad mensam ductus est. Dumque paterfamilias ex humilitatis consuetudine aquam vellet ejus manibus infundere, conversus urceum accepit: sed repente eum in cujus manibus aquam fundere voluerat, non invenit. Cumque hoc factum secum ipse miraretur, eadem nocte ei Dominus per visionem dixit: Cæteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti. » Ita refert S. Gregor. hom. XXIII. in ev. Sed licet pauperes quos videmus non sint ipse Christus, adhuc tamen Christo damus, quod ipsis propter Christum damus. S. enim Martinus tunicam suam vere pauperi homini dedit, et tamen in ea Christus ei apparuit dicens: Martinus hæc me veste contexit, Serv. Sulp. in vita, c. II. S. Catharina Sennensis pauperie elemosynam pe-

tenti crucem argenteam dedit, vero quidem homini: Christus tamen eidem apparens erucem illam auro et gemmis insignitam ostendit dicens, se in die judicii eam coram tota angelorum et hominum frequentia ostensurum, S. Antonin. ubi supra. Quia enim Christus pauperum patronus, eos nobis commendavit et se nobis obligavit, habiturus se acceptum, quidquid illis daretur, inde pauperes Christi personam verissime representant. Ad hunc enim modum David benefecit posteris Jonathæ propter ipsum, ut sic, quia ipsi gratiam referre, ut interfecto, non poterat, in posteris ejus referret. Unde II. Reg. IX. ait: *Putasne est aliquis qui remanserit de domo Saul ut faciam cum eo misericordiam propter Jonatham.* Moxque Miphiboseth filium Jonathæ claudum adhibuit mensæ suæ. Liberaverat Jonathas de gladio patris sui Davidem et idcirco iram patris in seipsum derivarat; igitur David conabatur ei interfecto hanc saltem referre gratiam. Atqui nonne et nos per Christum ab ira et gladio patris ejus erepti sumus? Nonne ideo Christus Patris iram in se provocavit et pro nobis excepit? Quid igitur putatis, non debemus ipsi? Sed non eget Christus ope nostra, nec possumus ei benefacere: egent tamen membra et posterius ejus pauperes, quos ipse tamquam suos nobis commendatos reliquit, imo fratres suos vocavit, Matth. XXV. quique de domo ejus, id est, paupertatis illius imitatores sunt, et idcirco a tot sæculis præ foribus templorum tamquam alicuius suos excubare voluit. Igitur si Christo tanto benefactori tuo gratiam vis rependere, inquire illius pauperes et dic: Estne aliquis in civitate, pago, etc. de domo Dei ut faciam cum eo misericordiam propter Christum? Sed heu multorum oculi quodammodo tenentur, ne Christum sub pauperibus videant et agnoscant, quia non in propria, sed in persona pauperum eis apparet, quemadmodum et duorum illorum discipulorum oculi tenebantur ne Christum agnoscerent, quia in forma peregrini apparuit; unde fit ut plures eant non in Emmaus, sed ut pauperes prætereant quasi non viderent. Similes illis, quibus maledicet in judicio Dominus, dicens: *Esurivi et non dedistis mihi manducare, etc.* dicent enim illi: *Domine quando te vidimus esurientem?* Sed audient: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis,* Matth. XXV. Cæterum cognoverunt Dominum discipulum in fractione panis tandem, et a Christo pasti sunt, quem ipsi pascere volebant. Ita si ditiores sedulo vacarent operibus misericordiæ, tandem cognoscerent Dominum sub pauperibus latere, quia experientur sibi sua non modo minui, sed etiam augeri, et plus accipere se quam dare.

II. Eundum nobis est ad mare Tiberiadis, nam

ibi piscantibus apparuit discipulis, Joan. XXI. Tiberias, *bona visio*, exponitur: et ubi quæso, melior visio quam in sacra missa, ubi Christus ipse videtur? Nam imprimis ea mare amaritudinis est, quia passionem Domini representat, et mare immensum meritorum ejus. Sed quemadmodum ibi Dominus ad littus tantum maris Tiberiadis, non in ipso mari stetit; ita et in missa, quia jam extra passionem in sacrificio incruento quasi in portu. Bona autem visio est, quia majoris meriti quam si in propria forma Christus visibilis appareret. Unde S. Ludovicus Franciæ rex dum forte missæ sacrificio cum proceribus in palatii Parisiensi sacello interesset et illis puerulum formæ elegantissimæ in manibus celebrantis cernentibus moneretur ut ad eundem videndum iret, respondit: *Qui non credit vadat et videat. Ego credo et fidei meritum libens conservo.* Refert præter alios f. Jo. Viguer. in inst. ad Christi theol. cap. de eucharistiæ sacramento. Ibi tota nocte piscantibus frustra discipulis Dominus paravit piscem prunis superpositum et panem, (propter insignem piscium capturam) et pransus est cum illis: ita etiam Dominus in missa exhibet nobis insignem piscem, seipsum videlicet igne charitatis in cruce tostum, ut exponit Greg. XXIV. spiritualiter manducandum: panem etiam eucharisticum, realiter sumendum: propter domesticam benedictionem. Unde si ad missam diligenter accederemus, cum ipso prandere spiritualiter et corporaliter possemus, et domi non modo nihil negligere, sed plus acquireremus, (saltem spiritualium honorum quæ rete conscientia nostræ non rumpunt: quod tamen fere solent bona facere temporalia) qui alioquin domi laborantes tota nocte parum aut nihil capimus. Unde Dominus bene dixit: *Mittite in dextram navigii rete, et invenietis, q. d. operamini cibum, qui non perit, piscamini res salutis, etc.* Sed heu! quam plurimi etiam hic Dominum non agnoscunt, ut discipuli piscantes; si enim agnoscerent festinanter accederent, omni alio seposito negotio. Petrus certe, cum audisset a Joanne, *quia Dominus est*, qui in littore stabat, mox tunica se præcinxit, et moræ impatiens, misit se in mare, natandoque ad Christum venit. Non dubito ergo si et nos Christum in missæ sacrificio serio agnosceremus, quin quotidie, audito ad missam sonitu, pallium indueremus, et ad eum festinaremus. Sed quæ est nostra vel cæcitas vel infidelitas vel ignavia? Nam, tot exhortationibus totque promissionibus excitati et præterea ingentibus campanis evocati, vix in festis et dominicis ad s. missam pergimus; et huic quam frigide intersumus! Utinam auditores, vi-

deritis Romæ specus illas subterraneas et meatus, per quos primi Christiani tempore persecutionum ad missas clanculum reptabant, et ad locum unum confluebant; ubi sub terra missam audire et sacramenta percipere possent! Utinam legeretis acta Cythensia apud Baron. anno 303. ubi mori se potius paratos dixerunt, quam sacrificio missæ carere, cum veterentur id audire. Stuperetis utique et vestram ignaviam damnaretis: siquidem plurimi modico frigore, pluvia vel levissimo negotio ab illa retrahi patiuntur; adeoque cum cæteris discipulis navigio ad Christum adduci debent, cum nimirum suaviter et sine molestia ad eum venire potest; quia non adeo viva fide agnoscunt in missa Dominum, quemadmodum agnovit Petrus Christum in littore stantem.

III. Eundem in montem Galilææ, Matth. XXVIII. Galilæa secundum S. Gregorium, hom. XXI. in evang. et D. Bern. serm. I. in pascha, *transmigratio* exponitur. Transmigramus autem quasi de corpore, cum montem orationis ascendimus, et in ea Deum mente aspicimus, et præsentem contemplantur, siquidem oratio est ascensus mentis ad Deum. Hinc apte fideles viso Domino in eo monte, dicuntur adorasse eum. Præterea mons ille Thabor fuisse communiter putatur a Dionysio Carthus. Lyrano, Bonaventura, magistro historiae, etc. ubi Christus, dum oraret, transfiguratus aliquando fuerat: montem igitur hunc ascendimus, et Christum videre meremur, cum per orationem animum a terrenis cogitationibus vocamus, et ad Dei conspectum et meditationem elevamus; speciatim vero cum ad certa pia loca et ss. templa et reliquias peregrinamur, ut ibi Deo et orationi accuratius vacemus. Sic enim quodammodo cum discipulis ad montem Thabor ascendimus; et dum orationi sedulo intenti Deum in mente nostra effingimus, quasi præsentem cernimus, in mente nostra velut in speculo relucentem. Dum enim imaginem crucifixi aut sancti alicujus intuemur, haud dubie ibi non sistimus, sed mente et cogitatione ad Christum ipsum et sanctum ferimur, tamquam in præsentem. Est quidem Deus ubique, adeoque etiam gentilibus præsens et hæreticis: sed non ita, uti Christianis, quibus promisit Christus se speciatim cum illis fore in orationibus. Unde multo melius quam Judæi dicere possumus id Deut. IV. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantibus sibi, sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Quando enim Judæis tantæ promissiones factæ, quantæ nobis de exaudienda oratione? Certe si quis semper et quocumque liberam ha-

beret accessum ad principem et facultatem colloquendi, quamdiu vellet, quid non speraret se obtenturum? Habemus hanc libertatem nos Christiani, imo jubemur esse importuni Deo nostro in orando. Habemus præterea toties repetitam et quasi juramenti firmatam ejus promissionem: *Amen, amen, si quid petieritis, etc. fiet vobis.* Sed et hic reperiantur dubitantes, sicut in monte illo. Dubitant alii, *curum* possit eis auxiliari: cum tamen in monte illo apparens dicat: *Data est mihi omnis potestas in celo et in terra.* Tales sunt, qui de pane lucrando, et necessariis conquirendis, magis confidunt in artibus, fraudibus, mendaciis suis, quam in Deo, quem orare pro iis rebus non curant. Si dives et opulentes vir aliquid tibi debeat, syngropham debiti non petis, imo nec sponsonem, sed uno ejus verbo contentus es et securus: cum vero Christus, cui omnia subjecta, tibi promittat omnia necessaria oranti: *Nolite solliciti esse, etc. petite et accipietis, etc.* fidem ei non habes. Tales, qui in suis afflictionibus ad Deum non recurrunt, sed vel desperant, vel ab hostibus Dei opem petunt, uti Ochozias, qui in ægritudine misit ad Deum Aacarum, Beelzebub, IV. Reg. I. unde et in ea perit, quia non consuluit Deum verum. Dubitant alii, utrum velit, cum tamen Dominus in eodem monte dixerit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Ita dubitant, qui dum non statim audiuntur, mox ab oratione cessant. Mira diffidentia; si enim Judæus tibi debeat, et chirographum debiti tradat, illo contentus es: Christo, Domino tuo, qui se tecum fore omnibus diebus promisit, non credis. Sed sæpe, inquis, expertus sum me non audiri, Dominum orationi meæ non adesse. Crediderim id, si montem Galilææ non ascendas, si in oratione animum ad Deum non elevas, nec a terrenis cogitationibus avoces: si non credas viva quadam et efficaci fide Deum esse præsentem et te revera ab illa summa et tremenda majestate orantem videri et audiri. Tu enim sæpissime interim mente alibi es, alia intueris, profana et noxia; quid mirum, si Deum non videas, nec præsentem experiaris? Unde S. Hieron. in dial. contra Lucif. ait: « Ad orationem assisto, non orarem, si non crederem: sed si vere crederem, illud cor, quo Deus noster oratur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lacrymis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, jacerem ad Domini mei pedes, eosque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certe trunco crucis, nec prius absisterem, quam misericordiam impetrarem; nunc vero creberrime in oratione mea aut per porti-

cus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero. Ubi est fides? Sicine putamus orasse Jonam? Sic tres pueros? Sic Daniele inter leones? Sic certe latronem in cruce? » Hæc Hieronymus de seipso humiliter, de nobis veraciter. Denique audi Davidem, Psalm. CXLIV. *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate.* Vide quid sibi velit istud: *In veritate.* Nam, ut ait card. Bellarm. in eum Psalm. « Qui sine vera fide orat, non invocat Deum in veritate, sed idolum capitis sui: et qui sine spe et fiducia orat, non invocat Deum in veritate, quia non potest serio et ex animo invocare eum, a quo non sperat se audiri; et qui sine charitate vel sine dilectione saltem inchoata orat, non invocat Deum in veritate, quia nemo invocat serio eum, quem odit, et a quo se odio haberi credit; et qui sine affectu ac desiderio orant, ut qui recitant psalmos et orationem dominicam absque desiderio consequendi quæ petunt, non invocant Deum in veritate sed invocare videntur. Denique, qui sine attentione orant, nec sciunt, quid dicant, ii vocent tantum, non mente orant, et ideo non invocant Deum in veritate, quia non ipsi vere invocant, sed signum inane invocatione ostendunt. » Hæc Bellarminus.

IV. Eundem cum illo in Bethaniam, eique vicinum Oliveti montem, quo postremum eduxit discipulos suos Dominus ad cælum ascensurus, Luc. XXIV. et Act. I. Bethania domum obedientiæ significat, in qua est et videtur Christus, sicut rex in regno suo, videlicet in vicariis et presidentibus suis; quia superiores, tam sæculares quam ecclesiastici, ab illo nobis constituti et relictii sunt, ejusque personam et auctoritatem representant, imo et ab eo reguntur et moventur. De his enim ipse dixit Luc. X. *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Et apost. Ephes. VI. *Obedite dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate cordis vestri sicut Christo.* Sane Dominus de Bethania perrexit cum discipulis ad vicinum montem Oliveti indeque ascendit ad cælum, Act. I. In monte autem Oliveti exactissimam nos docuit obedientiam, dum ibidem orans ad Patrem, ut voluntas ejus fieret, responsum, non ab ipso Patre, sed ab angelo Patrem representante, alioquin se longe inferiore, lubens acceptavit. Dum igitur in eo monte se videndum præbuit, et ex illo in cælum ascendit, clare docuit, in domo obedientiæ erga superiores ipsum optime videri, ipsiusque voluntatem, necnon secure ad cælum perveniri. Imprimis enim Dei voluntatem superiores tibi

aperiant, quam si sequaris non errabis. Unde Paulo volenti scire Dei voluntatem; *Domine quid me vis facere?* respondet Christus: *Surge et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere*, Act. IX. Illi sunt instar columnæ illius quæ ducebat Israel per Ægyptum et monebat, quando proficiscendum esset, quando sistendum, Num. IX. Eam vocat Deus *faciem suam*, Exod. XXXIII. quia scilicet angelus, qui columnæ ut navi nauclerus præsidebat, personam Dei representabat. Quis autem sibi non magnopere gratularetur, si per singulas actiones videre voluntatem Dei posset, quid faciendum vel omitendum? Si quotidie mane radius solis per fenestram ad te dirigeretur, qui tibi in pariete monstraret, quid Deus a te requirat, quanta hæc foret gratia? Modo ecce tibi radium talem, episcopum tuum, magistrum tuum, dominum tuum, præceptorem tuum, parentem tuum, confessarium tuum, etc. Nam, nisi manifeste repugnantia orationi et præceptis divinis tibi imperent, secure eis obedis, quasi ipsi Christo, licet alioquin errant. Sunt velut index horologii, quem solum aspiciamus, cum scire volumus horam diei: non introspicimus ipsum horologium. Et tametsi aliquando index cum horologii cursu non concordat, nihil tamen id nocere nobis potest, si forte tardius coram hero comparuerimus, quia referimus nos ad indicem horologii: similiter etiam non est, quod sis sollicitus, quæ sit voluntas Dei, dummodo scias et sequaris superioris tui voluntatem; in eo enim Christum ejusque voluntatem videre te existima. Unde S. Hieronymus, in reg. monial. c. VI. ait: *In obedientia summa virtutum clausa est, nam simplici gressu hominem ducit ad Christum, et non solum mens excusatur ad reddendam Deo rationem de subditis, sed nec etiam obligatur reddere de seipsa. O summa libertas, qua obtenta, vix possit homo peccare*. Hæc Hieron. Hinc consequitur alterum, quod in domo obedientiæ optima et secunda sit ad cælum via; siquidem obediens alienis humeris, sicut ovis illa inventa humeris pastoris sui, ad cælum feruntur, et alienis natant brachiis. Hinc orta tot monasteria, in quibus homines ut pueri vivunt, totique a pædagogis suis pendent, ad superiorum arbitrium vitam et mores suos componunt. Hinc enim sæcularibus tot dati a Deo superiores, parentes, domini, iudices, principes, tutores, præceptores, pastores, confessarii, etc. ut sic aliorum saltem ductu ad cælum pervenirent, qui suo interirent. Quæ quidem mira Dei inventio est, ut parendo aliorum voluntatibus plurimi salventur, qui per propriam voluntatem perirent. Unde Origenes,

hom. III. in Josuem ait: «Miranda benignitas et providentia Dei apparet, qui volens peccatori Cham præstare remedium et salutem, servum fecit eum fratribus suis, Gen. V. sicut Esau fratri suo Jacob, Gen. XXVII. non ut periret, sed ut salutem melioribus obediendo acquireret. Præstat enim plurimum malis, qui se regere nesciunt, cum sibimetipsis non committuntur, sed servi fiunt sanctorum et subjacent melioribus.» Ita Orig. Exemplum talis obedientiæ describit nobis Raymundus de S. Catharina Sennensi in ejus vita his verbis: «Hoc suavissimo hospite (Christo nempe) contenta, vicit diabolus, et ejus machinas. Docebat ille eam intus vias et rationes mirabiles externa omnia superandi. Imaginabatur sacra virgo patrem suum representare Christum Jesum; matrem suam, Dei genitricem sanctissimam, cæterosque de familia, apostolos et discipulos Salvatoris. Hac imaginatione fortiter concepta, assecuta est, ut omnium admiratione hilariter et officiose inserviret; tum etiam ut illis serviendo semper cogitaret de sponso suo Christo, cui se et omnia officia præstare credebat: sicque factum est, ut dum in culina versaretur, semper esset intra sancta sanctorum; serviensque ad mensam recumbentibus, animum suum mire pasceret imaginata presentia Salvatoris, contemptum vero sui et injurias omnes etiam jucundo ferret animo.»

Ergo, auditores, rogemus Dominum ut qui in hodierno evangelio discipulorum oculos aperuit, aperiat etiam nostros, quibus eum agnoscamus in pauperibus, in sacrificio missæ, in oratione, in superioribus nostris, atque ut demum e Bethania seu domo obedientiæ cum ipso evehamur in cælum.

## CONCIO IV.

## CHRISTIANI SINT PEREGRINI.

I. Non emant ea quæ hinc efferre nequeunt. — II. Omnia aliena reputent. — III. Contemptus et irrationes aliorum contemnant. — IV. Non hic moram trahant. — V. Modeste se gerant. — VI. Muniant se virtutibus. — VII. Cogitent semper gloriam.

## THEMA.

*Tu solus peregrinus es in Jerusalem?* Luc. XXIV.

Peregrinus quidam Christus fuit in Jerusalem necnon in omni terra: nequaquam tamen solus. Quotquot enim Christo adhæserunt, quotquot cæli cives sunt, fatentur etiam ipsi sese hic peregrinos esse; ita imprimis credentium pater

Abraham, Gen. XXIII. *Advena ego sum, inquit, et peregrinus apud vos*. Ita ejus nepos, Jacob interrogatus a Pharaone et ætate sua: *Dies peregrinationis meæ, inquit, centum triginta annorum. parvi et mali*. Ita David rex: *Advena ego sum apud te et peregrinus sicut omnes patres nostri*, Ps. XXXIX. idemque de omnibus asserit, Paral. XXIX. Testantur idem apostolorum principes, Petrus et Paulus. Ille I. Petr. II. cum ait: *Obsecro vos tamquam advenas et peregrinos, abstinete vos a carnalibus desideris*. Iste II. Cor. V. dicens: *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino*. Idemque de omnibus patribus affirmat ad Hebr. XI. *Confidentes, inquit, quia peregrini et hospites sunt super terram*. Idcirco veteres illi patres fere tota vita peregrinando de loco ad locum migrarunt, nullibi stabilem sedem habuerunt. Abraham exire jubetur a patria et habitare in terra aliena; idem filium Ismaelem ablegata se in terram alienam; nepos ejus Jacob deserere cogitur paternam domum et pergere in Mesopotamiam ut serviat in aliena: idem postea cum tota familia peregrinatus est in Ægyptum ad filium Josephum. Unde dicebat Pharaoni: *Ad peregrinandum in terram tuam venimus*, Gen. XLVII. Ejus posterii Israelitæ postea coguntur migrare ex Ægypto et peregrinari in deserto per annos quadraginta. Sed quid opus multis? Anima nostra celestis est et a Deo creata ac paradiso ejecta venit in terram, et in hoc mortale corpus, necnon in exilium. Ibi advena est, indeque velut peregrina cupit redire ad cælum, patriam suam, cujus typus est Cleophas, qui cum haberet domum suam in Emmaus, teste Hieronymo, in epiphano Paulæ, tendit in patriam suam. Soli homines improbi, mundi cives sunt vel potius esse volunt, cum revera non sint. Ergo quando omnes peregrini sumus, videndum nobis est, qua ratione vitam nostram institueamus, quo modo peregrini suam peregrinationem. Audiamus.

I. Peregrinus nihil in via emit quod secum ferre nequeat, ut arbores aut prædia; nec ædificat domos aut hortos, nec querit sibi servos aut equos, quia alio tendit; sola vero ea coemit et parat, quæ secum ferre potest, veluti uniones et pretiosa monilia: ita Christianus, qui peregrinum se agnoscit, non querat hic honores, opes, delicias, quia secum e mundo non efferet, sed mundo relinquet nolens volens; provideat sibi potius de operibus bonis, quæ sola secum efferet. *Opera enim illorum sequuntur eos*, inquit Joannes, Apoc. XIV. Sola efferentur opera, quia sola apud superos in pretio sunt. Stultus est qui navim onerat mercibus, quæ in ea regione, ad

quam navigat, nullius pretii sunt. Divitiæ, honores, voluptates nihil in cælo valent. Queritur S. Job, cap. IX. *Dies mei pertransierunt quasi novæ, poma portantes*. Hoc ipse ex humilitate: nam improborum dies proprie sunt velut naves [poma portantes. Quid enim citius putrescit quam pomum? Et quis non rideret eum, qui ex India adveheret navim pomis onustam? Quot enim poma sana et integra afferret? Nullum omnino. Auro et argento, gemmis et aromatibus onerantur naves Indiæ. Talia autem sunt bona opera, reliqua omnia nil nisi poma sunt. Hinc igitur monuit nos Salvator noster, Joann. VI. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*. Eodem spectat admonitio S. Petri, I. Pet. II. *Obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinete vos a carnalibus desideris*. Quidquid enim carnale est, fluxum et putredini proximum est: non competit ergo peregrino mundi.

II. Peregrinus omnia quasi peregre videt dum omnia a se aliena et peregrina æstimat: unde ea non amat, sed obiter quasi ad se non pertinentia aspicit ac pertransit. Eodem modo se habet erga homines quoslibet sive indigenas sive obvios quosque; ut peregrinos enim aspicit, non alloquitur, non comitatur: cor ejus in patria est, mens cum parentibus et filiis. Ita Christianus omnia in hoc mundo peregrina et aliena reputet, etiam homines et imprimis feminas, quasi ad se nihil pertineant: cor apud Deum in cælo, apud angelos et sanctos habeat, quemadmodum monet Sanctus Basilius admonitione, ad filium spiritualem: *Aviditate celesti anima flagrans, inquit, ut figura quædam inter homines versari videtur et tota conversatio ejus in cælis est*. Cernuntur in aulis principum variæ statuæ et figuræ: discurrunt et fabulantur juxta eas homines pulcherrimæ formæ, elegantissime vestiti: feruntur ad mensam epulæ lautissimæ: agitantur ludi, etc. nihil tamen sibi statuæ illæ ex his omnibus concupiscunt: talem S. Basilius vult esse Christianum. Hujusmodi autem fuit bonus ille latro qui affixus cruci et præter vicinam mortem aliud nihil expectans, omnia terrena, quæ tunc oculis cernebat, tamquam aliene et peregrina vidit; siquidem a Christo, quem cæli regem credidit, nihil in terris postulat, non opes, non honores, non vitam, non dolorum vel modicam relaxationem, sed sui tantum memoriam in cælesti ejus regno. Habuit is in conspectu suo, utpote in monte exaltatus, splendidissimam civitatem Jerusalem, montes et colles speciosos, viridantia arva, ridentia prata, civium Jerosolymitanorum hortos, ingentem popul-